

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Philipp Zincke

Hanc De Providentia Dei : Disputationem

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738365645>

Druck Freier  Zugang



Kut.: Ph. Lincke

J. Quistorp.
R. U. theol. 1647.

HANC
DE PROVIDEN-
TIA DEI

DISPUTATIONEM
permissu

Venerandæ Facultatis Theologicæ
typis expressam

ADIUVANTE DEO
SUB PRÆSIDIO

N. JOHANNIS QUISTORPJ,
Theolog. Doctoris, Ejusdemq; Pro-
oris Publ. longè Celeberrimi, Collegii Theo-
ci Senioris gravissimi, Rostochiensum Superinten-
dentis meritissimi, Præceptoris ac Promotoris
sui ætatèm venerandi

Celeberrimæ Rostochiensis Academiæ Au-
ditorio Majori

Defendet

AUTOR ET RESPONDENS

PHILIPPUS Zincke / Suetô-Marchita.

Ad diem 10. Julij Anno 1647.

as(0)so



ROSTOCHII,

TIPIIS NICOLAI KILI, Academia Typogr.

1647.

IC HUNG
DE PROVIDER
TIA DEI

Dicitur etiam in libro

scriptum

Venerisque Ecclastice Theologicae

ab his scriptis

Aduarante DEO

et ad nos dabo

DN IOHANNIS QUITZOPP

SE THEOLOGIAE ET PRACTICAE PRO

ETIACUM THERAPIA ET CURE

ET CURE SICKONUM



ROSTOCHII

THEATRI LIBRARI VERSUS



ADJUVA DEUS!

THESES I.



Ulanquam inter nos ex Cimmeriis igno-
rantiae gentilis (pro quo summa sit Educatori laus)
eductos , nullum qui tam obesae sit naris , tantaque ; in-
genii laborei appassio , ut Providentiam Dei negare ,
ad eov illud Poetæ :

Cum rapiant mala fata bonos , (ignoscite fasso)

Sollicitor nulos esse putare DE OS .

detonare , & in spucissimas Epicuri , qui in universum sustulit Providen-
tiam , Deumq ; quod summè beatus esset , non affici cura rerum infera-
rum : quia talis occupatio inturbaret , ejus beatitudinem & non esset
digna divina ejus Excellentia , statuit ; suis pedibus ire partes non erube-
scat , præsumimus . Extat enim non solum licet infirmioris , tantæ tamen
virtutis divinæ Providentiae Testimonium sc . Natura , ut etiam gentes ,
quoad nostrum , hoc in puncto Scientiæ gradum talpas oculatos effec-
rit , eosq ; cum Platone ad expressam providentiaz assertionem adegerit .
Extat non solum fulgentissimus instar sponsi de thalamo suo procedens ,
& ut gigas ad currendam viam exultans Sol . Extant non solum fulgida
celi astra ceu lampades splendifissimè lucentia ; Non solum Elementa o-
mnium mutationi obnoxiorum principia ; non solum cuncta tam mini-
ma , quam maxima in Elementis viventia animalia sc . in aere volucres ,
in aqua pisces , in terris homines ; Non solum Universum hoc alias sine
providentia DEI mox ecclipsis passurum mundi sistema extat ma-
gnus Divinæ providentiae Testis ; Non solum juxta Poetam :

Præsentemq ; referit qualibet herba Deum .

Sed extat adhuc Providentiaz omni exceptione major & avolumq ; Te-
stis sacra scriptura , quæ undiq ; hunc Δημιούργον à suo opificio , non arti-
ficis à se extructum opus durationis vel ruinæ arbitrio derelinquentis
instar , discessisse , sed & adhuc universa à se condita conservare , suaq ; sa-
pientia cuncta regere ac moderari multis in locis testatur ut Ps . 119 v . 91 .
Deus singulas substantias intuetur & juvat , ut habeant virtutes , motus , &
actiones convenientes . Ps . 127 . Nisi dominus ædificaverit domum fru-

stra laborant. Joh. 5. v. 17. Christus ipse magnus, ille provisor suam proficitur providentiā dū dicit: ὁ πατὴρ μῆς ἐώς ἀρχὴν ἐργάζεται καὶ γῶς τοῖς οὖσι. Quam professionē quoq; repetit author Epistolæ ad Hebr. cap. 1 v. 3. dum de Christo prædicat, quod sit Φέρων τὰ πάντα τῷ ἀνθρακῇ σὺν δυνάμεως ἀντεῖ. Attamen cum multi licet Epicuri scillari præternavigent, in Charybdin sæpè, dum non rectè modum Providentia divinæ explicant, dum Deum τεγοντην, præter quem ἔδεις ἀγαθὸς. Matt. 19. v. 16. etiam ad malas & peccaminosas hominum actiones non tantum præsciendo, sed & decernendo & efficaciter movendo concurrere statuant, cum summō suarum animarum periculo incurvant, hæc præsentes De PROVIDENTIA DEI, quam & Ego, dum mecum sæpè mirabiliter agat, sentio, THESES, sine eruditioñis quidem, non tamen summe Providentis Dei spiramine conscribere, & quid providentia Dei sit, circa quod objectum verletur, quomodo tām ad malas, quām bonas actiones diversimodē concurrat, levi penicillō, exercitijs gratia exprimere, non abs re fore duxi.

II.

Vocula τεγονίας & providentiaz non solum inquilina fuit olim scholarū Græcarum & Latinarū quod videre est ex Cicerone, dum hanc voculam lib. de Natura Deorum in his verbis: Mens Mundi providentia rectè appellari potest, usurpat. Sed etiam inquilina est sacræ scripturæ ut lib. Sapient. cap. 14. v. 3. Tua Pater Providentia gubernat, τεγονία διανυθεντα. Interim tamen, sicuti alias duo cum faciunt idem non semper est idem, ita etiam in hoc passu, quando Græci laudant, Cicero laudat & scriptura laudat voc. τεγονία non est idem. Illis enim Voc. τεγονία Includit τεγονών ac Præscientiam, quatenus ab hominibus secundum prius & posterius aliquid prævidetur, scriptura autem in sensu excellenter illam accipit & illam Deo applicandam ab omni sua impuritate defecat. Includit quidem τεγονία etiam Præscientiam, sed per illam non intelligit τεγονών per intervalla temporum, sed ut Damascenus lib. 2. de orthodoxa fide explicat, παντελήνην οὐδὲν s. præsentis visionis scientiam. Scit enim Deum omnia in perpetuo ac stabili yōu intueri, omnemq; temporis mensuram & circumscriptiōnem longissimè transcendere. Ut enim præteriorum non reminiscitur, ita nec futura à longe prævidet. Quando autem Deo præscientia tribuitur, tunc hoc fit.

avθεω-

ἀνθεωμαθῶς οὐκ κατὰ συγκατάβασιν, non respectu Dei sed respectu nostri, qui non nisi per intervalla & momenta temporum successivè res intuemur, & non notitia ἐν πίπη, sed habituali res cognoscimus. Hinc etiam apud Hebr. exprimitur præscientia Dei per γένος & i. Sam. 16. per γένος, ut notetur Deum non per intervalla temporum successivè res intueri, sed notitia intuitiva omnia simul adspicere, πάντας τὸ μὲν οὐκ οὐκ εἰδεῖν οὐδὲ τοῦ φραγμοῦ αὐτῷ Heb. 4. v. 13. Cum illo etiam consentiunt Patres, præprimis Augustinus pulcherrime lib. II. de Civit. Dei cap. 21, sic de præscientia Dei loquens: Non more nostro Deus vel quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum est, respicit, sed alio modo quodam à nostrorum cogitationum consuetudine alieno vid. Gerh. Aug. citans in loc. de Provid. pag. 59. Et ex scholasticis Thomas, part. I. quæst. 14. art. 1. Deus est in summo gradu immaterialitatis, ergo etiā in summo gradu cognitionis.

III.

Hæc præsens visionis scientia s. πάντα ψίᾳ Dei, etiam si sit in se ab omnī mutatione immunitus, novit enim Deus immutabiliter omnia, quæ futura sunt. Aug. lib. 5. de C. D. cap. 9. non tamen tollit omnem rerum contingentiam, nec importat aliquam fatalem necessitatem. Assert quidem præscientia Dei, aliquam immutabilitatem rebus, sed illam non à priori, sed saltem posteriori, hoc est, quando Deus scit rem esse, necesse est eam esse, impossibile enim est, ut idem simul sit & non sit; Interim tamen res sua natura & respectu causalium, poterat aliter esse, & tunc Deus aliter præscivisset. Neq; enim τὸ ὅν solum, sed & τὸ διόν causam & modum agendi Deus prævidet. Non solum σκληραρδίας Pharaonis & aliorum Judæorum vidit, sed eandem etiam ex spontaneo & deplorato intra ipsos existente malitia principio omnis necessitatis experti esse ortam prævidit. Hinc rectè Hieron. lib. 3. in Ezech. Non quia Deus futura cognoscit, necesse est, nos facere, quod ille præscivit, sed quod nos propriâ voluntate sumus facturi ille novit futurum, quia Deus est. Hinc etiam illa non solum venerandæ canitiei sapientiam, sed etiam ipsam veritatis medullam exprimentia similia extant, scl. Veluti medicus morbum prævidens non posset dici causa adcelerantis morbi, & veluti Astronomus prævidens Ecclipsin non posset dici causa ponendæ Ecclipses; Nec veluti Prophetæ de peccatis hominum vaticinantes fuere causæ peccatorum;

corum; Ita etiam præscientia Dei non est causa fatalis rerum necessitatis, de quo eleganter sic discurrit Chrysosth. in Matth. homil. 60. Peccata, quorum accessum præixerunt vaticinia Prophetarum, non ideo sunt perpetrata, quia divinitus prædicta, sed ideo prædicta, quia Deus hominum malitiam videt in curabilem. Collabascit ergo illud Calvini lib. 3. Instit. cap. 23. sect. 7. Decretum quidem horribile fateor: Inservi tamen nemo poterit, quin præsicerit Deus, quem exitum esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & ideo præsicerit, quia decreto suo sic ordinarat. Collabascunt futilia Stoicorum argumenta fatalem necessitatem demonstrare conantia cum dicunt: Præscientia Dei non distinguenda est ab ejus decreto, voluntate, & prædestinatione, Deus non alia ratione futura prævidet, nisi, quia ita ut fierent, decrevit, Deus nihil scit, futurum, quod non decrevit futurum; Quod tamen est falsissimum. Est quidem prædestinatione Providentiae cognata, ut loquitur incomparabilis Theolog. D. Chemnit. loc. de creat. m. pag. 124. Siquidem Prædestinatione sine providentia esse nequit. Velle autem reciprocationem denominationis inter præscientiam & Prædestinationem instituere, & dicere, Præscientiam non distingui à decreto & prædestinatione, sed prædestinatione esse Providentiam & viceversa, est hominis hoc in passu vilioris commatis, quippe, cum etiā præscientia possit esse sine prædestinatione; Quorum autem unum potest esse sine coexistentia alterius, illa non sunt reciproca nec unum & idem, quod recte adserit Aug. lib. de prædest. sanct. cap. 10. Prædestinatione sine præscientia esse non potest, sed potest esse sine prædestinatione præscientia: Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus, unde dictum est, fecit, quæ futura sunt, præscire autem potestea, quæ ipse non fecit, sicut quæcunque peccata.

I V.

Nec tamen ~~περὶ την γένεσιν~~ Dei est otiosa speculatio, sicut in theatris spectatores animi gratia, quæ aguntur, intuentur, (ut loquitur Chemnit. d. loco. de creatione) sed ille intuitus providentiae Dei complectitur simul ~~τοῦ θεοῦ & διοίκησης~~, vid. Ps 32. vers. 13. & 16. Ut numerat Vetus interpres. Ita respicit Dominus super omnes habitantes terram, ita intelligit omnia opera eorum, quod bonos conatus adjuvat, malos reprimit. Quicquid etiam contrarij nihil relevantis ogganniant illi, de quibus Augustinus dicit: ex duabus potissimum argumentis quidam oppugnant providentiam i. Ab inconstantia tempestatum, quod nubes, venti, nix

ti, nix &c. sine ordine tumultuarie & fortuitis motib⁹ volvi videntur, sicut
atomi in sole. 2. Si mundus Dei providentia gubernatur, deberet bonis
benē esse, & malis malē, cuius contrarium experientia sāpē ostendit. In
primo enim arg. Neg. consequentia Majoris. Nam eis nobis nubes, ven.
ii, nix &c. videantur confusa, non tamen sunt in oculis Dei talia, & ita sunt
nobis confusa non ēt̄as sed Φαινούμενα. Nam ordo ille, quem ordi-
nūs institutor & servator servat, non semper est obvius caliginosæ no-
stræ menti, cum divinæ sapientiæ consilium ab oculis nostris sit longe
absconditum, interim tamen, quod nobis interdum videtur esse contu-
sum est convenientissimus Dei ordo, & convenit cum ejus justitia, ideoq;
fulmina, grando, nix, fumus (i. e. densissimæ nobis confusissimæ, homi-
nibusq; prospectum tollentes nebulæ) & spiritus procellatum dicuntur
facere ipsius verbum, h. e. exequuntur Dei mandatum & ordinem ab ipso
institutum Ps. 148. v. 8. Secundum argumentū facile enervatur, si distin-
guitur inter bonitatē apparentē & veram, & inter felicitatē temporalem
& æternam. Concedendum est quidem, quod impiis sc̄epissimè benē sit in
hac vita propter sanitatem, divitias & alia corporis bona. Piis autem
malē, propter ægritudinem, paupertatem, ignominiam, persecutionem.
Caussa tñ. illius mali, quo affliguntur pii, nō est illorū neglectus vel otiosa
Dei speculatio sed ejus admiranda dispositio & μάκροθυμία, quæ sic ad
pænitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bo-
nos. Aug. lib. 1. de civ. Dei cap. 8. Et licet impii fruantur plerumq; felici-
tate, est tamen illorum felicitas sāpē apparens, est momentanea, est
instar fumi & floris, ut ex praxi loquitur approbatissimus in calamitatis
fornace Job. 21. v. 18. Impii, dicit, sunt sicut paleæ ante faciem venti, & si-
cuit favillæ, quam turbo dispergit. Piorum autem felicitas est vera euām
in ipla persecutione & æterna, nam post afflictionem transferuntur in
æternam gloriam Luc. 16.

V.

Tres ergo sunt divinæ Providentiæ actus / ut quidem homines
nos numeramus 1. πρόγρωπος. 2. πρόσθετος. & 3. ποιητος Primum, quo-
modo sit intelligendus, diximus. De secundo jam. Est autem πρόσθετος
juxta Gerhardum Tom. 2. Loc. de provid. S. 47. Decretum & voluntas
prospiciendi rebus omnibus. Recte nominat hunc actum Decretum,
quia quicquid Deus in tempore agit, ab æterno agere decrevit; Ac ut
providi est non solum habere notitiam, sed etiam voluntatem prospici-
endi

ēndi rerum necessitatibus, ita etiam Deus habet voluntatem & opera-
tur omnia juxta consilium voluntatis suæ. Eph. i. v. ii. Quanquam con-
silium saltem ἀνθρωποῦ Deo tribuatur, cum propriè loquendo
Deus non consultet, nec ratiocinetur, ad ἀνθρώπινον tamen nostri captus
revocatur ipsius consilium, quia in ipsius operibus semper summae & in-
finitæ sapientiae radii effulgent, & quia talia agit, quæ homines summâ
animi prudentia agunt. Interim disting. est inter ἀνθρώπου specialiter
acceptam pro salutis nostræ proposito i. e. illo decreto quod ab æterno
in Christo est dispositum, vel per Evangelium nobis revelatum; Qua ra-
tione Dei propositum totum salutis nostræ ordinem complectitur. ut
Rom. 8. v. 28 cap. 9. v. ii. Et Ephes. i. v. ii. Et inter ἀνθρώπου generali-
ter acceptam: Cum enim omnium creaturarum productio & conser-
vatio sit opus Dei, de illis quoq; in mente divina ἀνθρώπου exstitit. Ad
illas ergo ἀνθρώπου acceptiones referenda sunt, quæ Deus in tempore
vel specialiter vel generaliter agit (siquidem quæ non agit, ea nec ab æ-
terno decrevit) Est enim DEUS non δίψυχος nec ακατάσεις. Cui
ōdēς ἀνττ, sed est talis παρόντος εἰς τὸν ἀνθρώπον Jacob. i. v. 17. Jam au-
tem Deus agit & operatur tantum bona in tempore, ergo etiam tantum
bona ab æterno decrevit. Sic eg. ἀπλύτωσιν nostram per Christum
in tempore operat, tunc enim ubi ταῦτα γένονται τὸ χρόνος venit ἐξ απέ-
σταλεν ὁ Θεὸς τὸν νῦν ἀνττ γενόμενον εκ γυναικός, γενόμενον υπὸ
νόμου: οὐαὶ τὰς υπὸ νόμου ἐξαγερσίην, οὐαὶ τὴν υἱοθεσίαν ἀπλάθωμεν
Gal. 4. v. 4. & 5. Ideoq; ἀπλύτωσιν nostram quoq; ab æterno decre-
vit. Hinc ratione æterni decreti noster, innocentissimus agnus dicitur
ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ἐσφαγμένος. Apocal. 13. v. 8. & juxta hanc
ἀνθρώπου καὶ βραχὺ τὸ θελήματος. ἀνττ dicimur ἀνθρώπου θεος
prædestinati. Eph. i. v. ii. Protoplastorum autem lapsus non opera-
tus est DEUS in tempore, sed lapsi sunt illi instinctu patris menda-
cij, ac ἐπιχαιρεκάκει diaboli, per propriam sibi à creatore relictam
ἐλευθερίαν τῷ αἵρεσιν. Ergo etiam illum ab æterno non decrevit. Ob-
id quoq; non per Dei Decretum mors & peccatum dicuntur in mun-
dum introiisse, sed per hominem ipsum liberè peccantem vid. Rom. 5.
v. 12. ubi sic: διὸ ἐνὸς ἀνθρώπου ἡ ἀμαρτία εἰς τὸν κόσμον ἔσπλαθε,
καὶ διὰ τῆς ἀμαρτίας ὁ θάνατος καὶ ζωὴς εἰς πάντας ἀνθρώ-

πας

πρεσβύτερος διηγέρει εἰφέντη πάντες ἡμαρτησαν. Rumpat nunc cum
fœtido suo adserio Beza, quā expuere part. 2. Resp. ad Colloq. pag.
152. non erubescit: Dei ordinatione Adamus in peccatum fuit lapsus,
quid enim opus tergiversationibus? si simpliciter DEUS noluisset eum
peccare, non peccasset, quasi verò in vitō Deo aliquid fiat; Occasionem
peccandi dedit illi, dum legem tulit, quam sciebat ipsum non servatu-
rum. Creavit serpentem & diabolum, qui eum tentarent, dedit ei uxo-
rem, quæ illum alliceret, deniq; permisit eum suo arbitrio malè uti;
Quomodo igitur dici potest Adamum esse lapsum citra DEI ordina-
tionem ac prædestinationem? Fateretur ergo factum fuisse Dei consilio
ac voluntate, ut Adamus lapsus sit. Tantum ille. Verū nostrum adser-
tum, cum habeat βάσιν scripturæ, omnis destructionis nescium est.
Quemadmodum igitur Deus primam illam καταβάσιν omnis subse-
cutæ καταβάσεως fontem & scaturiginem ab æterno non decrevit: ita
etiam ab æterno nec alias malas, ut in tempore fierent, decrevit actiones. Vi-
dentur quidem quedam loca scripturæ contrariū adstruere, cœn Gen. 45.
v. 8. Ubi Joseph. ad fratres suos dicit: nō vestro consilio sed Dei voluntate
sum missus. Gen. 50. v. 19. Nolite timere, annon ego subDeo sum? Act. 1. v. 23.
Hunc definitio consilio & præscientia DEI traditum &c. Item cap. 4. act.
v. 27. & 28. Convenerunt ad faciendum, quæcunq; manus tua & eonsil-
lium tuum prius decreverat, ut fierent, quæ loca etiam nobis opponit
& per multas instantias urget Chamier pag. 40. Verū si (1) distin-
guimus, inter ipsam actionem malam, vel scelus fratrum Josephi. & in-
ter illius actionis malæ vel sceleris felicem exitum, (2) Inter ipsum fa-
ctum proditionis, condemnationis & crucifixionis Christi & inter il-
lius saluberrimum finem, & applicamus (3) locis citatis dicendo: Deum
non ipsas malas actiones fratrum Josephi decreto suo respexisse, quod
ipse quoq; Joseph. fateretur Gen. 50. v. 20. Vos cogitastis de me malum,
Deus autem convertit illud malum in bonum, sicut coram videtis, sed
bonum malarum actionum exitum, scil. conservationem in annona-
familiaz paternaz. Nec Deum respexisse suo decreto ad funestam Sal-
uatoris nostri à Judæis peragendam mactationem, sed ad ipsius saluber-
rimum omni populo à parte Dei destinatum finem, sicuti Leo sermo-
ne 16. de passione Domini inter Judæorum actionem malam & finem

B

distinguit

distinguit, dum inquit: Multum diversum, multumq; contrarium est id, quod in malignitate Judaeorum est praeognitum, & quod de passione Christi est dispositum, non inde procellit voluntas interficiendi, unde voluntas moriendi: Nec de uno exstisit spiritu atrocitas sceleris & tolerantia Redemptoris, non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit, nec praesciendo, quod futurum est, coagit, ut faceret, cum tamen adhoc ipsum carnem suscepisset, ut fieret. Et sicut Augustinus epist. 48. ad Vincent: quem citat Clarissimus Dn. Danhawerns in Explic. Can: Top: Actiones finibus distinguuntur, ita loquitur: Duo cum faciunt idem, non est idem: sacerdos quo similitudo facti conjungit, causa dissimilitudo discernit. Sic Deus filio suo non percipit, sed tradidit ipsum pro nobis, & filius tradidit semetipsum, & Judas tradidit Christum; Cur in hac traditione DEUS est pius & homo reus, nisi in una, quam fecerunt, causa non est una, quā fecerunt? Tunc facile illa loca magnam alias difficultatem ~~hanc~~ doceat in se habentia, resolvuntur, & DEUS ab omni malarum actionum decreto liberatur.

VII.

Restat ut tertium Providentiae actum scl. Διόνυσον videamus. Ille jam consistit (ut loquitur Gerhardus cap. 5. in loco Provid.) in actuali & temporali omnium rerum sustentatione ac gubernatione, quā DEUS omnia sapienter, libere, potenter ac benē moderatur, ac dirigit. Duo ergo sunt in hoc actu explicanda i. Conservatio & Gubernatio. i. Conser-
vet & sustentet necesse est Deus omnes res, quia ex se & suis viribus subsistere nequeunt. Ut enim radiorum esse à sole, umbra à corpore: Ita omnes creature à divinā dependent conservatione. Ryam. de Sab. in Theolog. natural. cap. 16. Hinc etiam Deus dicitur Φέρω τὰ πάντα τῷ πήματι τῆς δύναμεως αὐτοῦ. & non tantum conservat esse rerum, sed etiam largitur cunctis motum. Non posset homo extendere manum sine motore primo Deo; movet quidem corporis membra anima, verum hoc non facit, ut movens primum, sed ut movens secundum, si quidem vim, quam habet movendi, habet à Deo ipsam movente. Sic forma seminis in terris non sibi formaret corpus, nisi Deus ad istam concurreret formationem, ut illud innuit Spiritus Sanctus per Paulum. Cor. 15, vers. 37. & 38. & τὸ σῶμα τὸ γεννηθὲν πτέρεις ἀλλὰ γρα-

γον

νὸν κόκκον ὁ δὲ θεὸς αὐτῷ δίδωσταμενηθέλγοτε. Clarissimus ille lucifer Sol, etiam si de thalamo suo (ut canit Psalmista Ps. 19. v. 5.) instar sponsi ornatissimi & ad currendam viam gigantis instat tanta alacritate, ut etiam fortissimus quisque gigas ipsius cursum impedit non posset, formā suā informante tripudiet, tamen ornatissimum ortum & celerrimum cursum summo deberi motori Deo, ut dicitur: Matth. 5. v. 45. Pater cælestis solem αὐτελλει hoc est, facit oriri. In summa: ut à Jehovah ab Ente κατ' εξεχήν sic dicto Deo omne habet suum esse. Ita etiam ab illo omne habet suum continuatum esse, quod est existere ut & motum juxta Act. 17. v. 28. τὸ αὐτὸν ψυχὴν καὶ κυριότητα, καὶ ἔστησεν. Licet autem causæ secundæ cogant beneficio influitus causæ primæ & summæ & ita necessarius inter has causas intercedit nexus. Interim tamen causa prima non est ita alligata causis secundis ut semper agere deberet secundum naturam illarum causarum; sed interdum agit secundum naturam, interdum præter naturam, interdum super naturam, interdum etiam contranaturam. Nam ut est liberum agens, ita etiam pro libitu est δυνάμενος πάντα ποιῆσαι ὑπερ τὰ περιγράπων αἰτίας η νοούμενος Eph. 3. v. 20. Hinc etiam apud Chemnitium in loc. de creatione pag. m. 129. Tales extant aphorismi: DEUS non est alligatus causis secundis. Quicquid Deus facit per causas secundas, illud etiam potest sine illis per se solum facere. Ex causis secundis potest aliud effectum producere, quam ipsarum dispositio & natura ferat. Item positis causis secundis in actu, Deus tamen effectum potest impedire, mutare & exasperare. Qui omnes aphorismi suam habent veritatem in experientia rerum doctrina, quam per μελεσμὸν hoc in loco ad vitum exprimere non est de nostro instituto, nec de necessitate. Cuilibet possunt esse obvia exempla ex αὐτοφίᾳ, si modò conferantur Ps. 104. vers. 16. de origine fontium & Exod. 17. v. 5. & 6. Ubi ex petra educitur aqua. Si conf. Rom. 4. v. 9. Attributa corpori Saræ matronæ γένερων & Gen. 21. v. 102. ubi ita facta legitur, ut etiam si causarum sociarum vires tam à parte Abrahāmi, quam Saræ ad generationem essent emortuæ, Saræ tamen non solum Isaacum genuerit, sed etiam cum Abrahāmo post nativitatem Isaacī annos triginta in matrimonio vixerit. Item si conf. Gen. 2. v. 6. ubi causæ secundæ pluviarum

viarum in natura ordinatae describuntur cum fine 3. Reg. 18. v. 44. hi-
storiae Eliæ, ubi tamen illæ suspenduntur. Contranitentes hisce jam di-
ctis opiniones philosophorum, qui quando viderunt, quod causas secun-
das in actu positas sequatur effectus talis, qualis est dispositio causarum
& non positas non sequatur effectus disputerunt, necesse quidem esse
primam causam concurrere ad omnem actionem, sed in causis essen-
tialiter subordinatis secundâ agente, necessariò etiam primam agere,
sunt saltem rationis cogitationes Providentiam DEI ex humano inge-
nio metientes, nec quicquam relevat. 2. Explicanda est Gubernatio.
Quemadmodum enim Deus omnia creatâ conservat & sustentat, ita
etiam omnia gubernat & dirigit, & quidem duplaci modo generaliter
& specialiter. Priori modo eadunt sub gubernationem DEI omnia
quæ modò sunt, Astra, Sol, luna, Planetæ, ut indesinenter circumcirca
rotatae nobis suo accessu & recessu, dies, noctes, menses, annos & tem-
pora dimetiantur, ac æstatem ac hyemem nobis afferant. Sic & bruta,
plantæ, arbores &c. Posteriori autem modo sub gubernationem Dei cadit
Homo, mundi epitome & reliquatum creaturarum complementum,
tam quoad vitam, quam quoad actiones. Vitam hominis gubernat
Deus peculiariter i. In ingressu: Mirabiliter in obscuro format DEUS
foetum, ita ut ex semine privationem ad hominem in lese habente,
multas post alterationes forma hominis non est potentia materiæ edu-
cta, non ab astris infusa, sed vi primæ benedictionis Divinæ se exerat
& ad plenarium dominium promoveat, attestante Job. 10. v. 8. Manu-
tuæ, Domine plasmaverunt me & fecerunt me totum in circuitu, sicut lu-
rum fecisti me, sicut lac me mulisti, & Ps. 22. Extraxisti me &c. In progres-
su Deus gubernat vitam, materiam vivendi sc. victimum & amictum o-
mnibus porrigendo, nostra bona corporaq; à malis sarta tecta servan-
do, ita ut ne pilus citra ipsius voluntatem de capite nostro cadat. Matt.
10. v. 30. & angelis suis, ut homines manibus suis portent, ne pedes in
lapidem offendant. Ps. 91. In vita tandem egressu gubernat vitam,
quando certos, concisos & numeratos præscribit hominis vita terminos,
quos sine DEI consilio transilire nequit vid. Job. 14. v. 5. Hoc ta-
men observatò, ut distinguamus cum Gerardo, inter mortem simpli-
citer & absolute consideratam, ac inter horam ac genus mortis. Prius
sine omni exceptione omnibus hominibus propter peccatum ceu cul-
pam

pam pœna mortis est determinatum Heb. 9. v. 27 ἀποκριτῆς ἀνθρώποις αὐτοῖς. Posterioris quidem unicuique constituitur, non tamen absolute & omnes causas secundas excludente decreto, alias genitus mortis esset fatale, quod nos contra Stoicorum mores cum Mentzero in sua Repet. Chemnit. disput. de creatione Thes. 27. expressè negamus. Suspensus enim propter furtum non suspenderetur, nisi furtus non esset, minimè autem à Deo sive jubetur sive cogitur, sive impellitur furari. Hora mortis etiam sub conditione constituta est homini, ita ut pro singulari Dei consilio interdum possit prolongari. Ut Ps. 35. v. ult. Esai. 58. v. 5. Interdum etiam justè permittente Deo ab homine sibi ipsi manus inferente violentas anticipari. Eò tendit elegantiissima Lyrani, quā utitur in Comment. cap. Job. 14. distinctio dum inquit: Constitutio termini hominis dupliciter intelligi potest, uno modo prout est in divina ordinatione & sic termini vita hominis præteriri non possunt anticipando vel differendo, quia ejus providentia est infallibilis; Alio modo ut est in effectu exteriori, in quantum ex naturalibus causis est periodus certa vita hominis & in aliquibus major & minor secundum varietatem complexionis, & secundum hoc termini vitæ possunt anticipari per malum regimen, gladium vel aliam occasionem. *Actiones* quoq; hominum gubernat Deus, sed aliter concurrit ad bonas, aliter ad malas actiones. Ad bonas actiones, quia sunt duplices vel civiter vel spiritualiter bona, Deus quoq; ad illas duplice (ut loquuntur Scholastici) influentia tam generali, quam speciali concurrit. Generali ad actiones civiles tam renatorum, quam non renatorum, quando naturam agentem servat & vires agendi largitur, quando eos ad has vel illas civiliter bonas actiones, ut Bezaleelem ad efformanda artificiofissima vasa tanquam summus Thaumaturgus Exod. 31. v. 3, informat, vel Regem Nebucadnezarum quem ad domandum duræ cervicis populum Iudaicum tanquam fortissimus heros animat, dextræq; ejus, ut palmam reportet, robur addit. Jer. 25. Speciali concurrit ad spirituales renatorum actiones, ita ut per spiritum suum sanctum eas ipse in renatis, quia illi ex seipsis, tanquam lex seipsis non sunt *ἰκανοί* aliquid boni cogitare, ne dum facere 2. Cor. 3. v. 5, tam in exordio, quam progressu (ut loquitur Augustinus gradus motuum & actionum spiritualium distribuens) efficiat & operetur, testante Paulo phil. 2. v. 13. ὁ θεὸς ἐστιν ἡ

Ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τῷ Θεῷ εἰν αὐτῷ ἐνεργῶν. Ad malas autem hominum actiones Deus non concurrit, hominum malas voluntates gubernando & ad designando scelera impellendo, sed iis saltem modis, qui habentur apud Mortalium in sua repetit. Charnier, disput. 8. Thes. 18. Ubi tamen observandum est, quando inter illos modos Deus dicitur sustentare membra, conservare vires & motus in illis etiam actionibus in quibus summam afficitur contumelia. Quod accurate distinguendum sit, inter motum seu actionem ipsam, & motus seu actionis *ἀποίκια*; actio ut actio, cui Deus largitur vires agendi non est peccatum, alias omnes actiones essent peccata sed *ἀποίκια* seu vitium in actione est peccatum, quod autem non est defectus a causâ universalis Deo, sed a causa proxima videlicet hominis voluntate per accidens. Quod & ipse Kerckemannus alias strenuus Calvinianorum partes sectator fateri cogitur in suo systemat. log. in explicatione Canonis: Quod est causa causa, est etiam causa causati, dum dicit: Falsus ille canon est in causis subordinatis contingenter & per accidens, ubi causa inferior effectum non ex sua natura, sed ex aliquo accidenti defectu producit: Sic ergo Deus non est causa peccati, etiam si sit causa voluntatis humanae, quæ causatur peccatum, voluntas enim causa peccati non est per se sua natura quam voluntas (sic enim semper peccaret) sed quatenus ei accessit defectus seu pravitas. Sic natura equi non est causa claudicationis, etiam si sit causa motus in equo. Erubescant igitur & ad saniores redeant mentem reliqui Calviniani ut Zanchius qui lib. 5. de natura Dei cap. 1. p. 690. sic scribit: Deus inclinat & impellit voluntatem impiorum ad gravia peccata & Chamier qui lib. de auctore peccati pag. 37. cap. 2. num. 4. sic: Actiones omnes ita sunt ad providentiam Dei referendæ, ut nulla admittatur bonarum, malarumque exceptio. Maximam & inexcusabilem Deo nostro faciunt injuriam, immo Deum peccati causam statuendo, Deum ipsum negant, juxta Basilium in homin. dicentem: Non minor est blasphemia asserere Deum esse causam peccati, quam negare Deum. Nec illos juvare potest facta illa distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti, potest enim illa nunquam ex scripturâ probari, sed pugnat cum Dei natura, qui est perfectissimus & non potest admittere voluntates contrarias, vel non potest velle, quæ sunt contradictiones. Nec illud relevat quicquam, quod opponunt de induratione

Phara-

Pharaonis & in sensum reprobum deitulsionie. Nam si dextre explicantur phrases, tunc utrumq; citra lassionem ἀναλογίας fidei de Deo potest affirmari. vid. uberrime de his discurrens Chemnit. in loc. de causa peccati & Gerhardus. in loc. de Provid. Quod autem ager humanae naturae habeat tristissima illa Zizania peccati & confusionis, causa non est D E U S , sed voluntas malorum videlicet diaboli & impiorum, quæ non adjuvante D E O , avertit se à D E O , sicut Christus ait Joh. 8. cum loquitur mendacium ex seipso loquitur. & docet Aug. Conf. art. 19.

VII.

Existentia Providentiae D E I sic probata, & iis, quos in se actus includit, pro virili explicatis, tandem ad quæstionem: Quid sit Providentia D E I nos deducit ordo. Ad hujus quæstionis decisionem suppeditat nobis suam, quam breviter & nervosè (ut loquitur Gerhardus) habet lib. 2. orth. fidei cap. 29. definitionem Damascenus. scil. η τεῖχος ἐστιν η εκ τοῦ θεοῦ εἰς τὴν οὐρανὸν γενομένη ἐπιμέλεια. Providentia est D E I in ea, quæ sunt, cura. Cura autem Provid. dicitur, quia ut antea dictum est, Providentia non est nuda & otiosa speculatio sicut in theatris spectatores animi gratia, quæ aguntur, intuentur; Sed illa complectitur simul curam & gubernationem. juxta. Ps. 32. v. 13. & 16. Ita respicit dominus super omnes habitantes terram, ita intelligit omnia opera eorum, quod bonos conatus adjuvet, malos reprimit, cum videat utrosq; Dominus.

VIII.

Objectum hujus curæ non sunt solum incorruptibilia & sublimiora; ut quidam inter Philosophos senserunt, quorum mentionem facit Aug. dicens: sunt, qui putaverunt sublimes quidem mundi partes divina providentia gubernari, hanc autem imam partem terræ & aeris vicinioris, in qua venti, nubesq; consurgunt casibus potius & fortuitis motibus agitari. Sed illa extendit se ad omnia D E I opera, & ut in definit. dictum est, ad omnia illa quæ sunt, hoc est ad omnia entia positiva, quæ suam habent essentiam & bonitatem debitam. Immodicata ad pusilla, quam magna Sap. 6. v. 6. Hinc recte Ambros. i. Off.

cap. 13.

cap. 13. Si non est injuria & probrum D E I minutissimas quasq; res fe-
cisse, multò minus probrum erit, factas illas res regere. Ob id non tan-
tum D E U S πν̄ ήλιον ἀντίς αὐτέλλει Matth. 5. v. 45. sed etiam pas-
serum contemptissimum (de quibus Plinius lib. 10. cap. 36. inquit:
Passeri minimum vitæ; Mares negantur anno diutius vivere ob salaci-
tatem) avium curam habet, εν παρεξηγησει τοις θηραις ουτων ουτων
παρεξηγησει τοις θηραις ουτων ουτων ουτων ουτων ουτων ουτων
D E I. Prostant enim (ut non nemo loquitur) in plis animaliæ, prostant
variæ potentia, prostant egregiæ operationes, adsunt pennulæ, ad-
sunt parvulae alæ adsunt membranulæ, adsunt venulæ, mirusq; particu-
larum variarū sese ostentat apparatus. Imò etiam capilli, qui modò ex ex-
crementis nascuntur, sunt D E O ita curæ, ut etiam, ne unus ex illis
excidat, numerentur. Matth. 10. v. 30.

I X.

Quanquam autem Providentia D E I, sead omnia, quæ sunt, ex-
tendit, Interim tamen dantur istius curæ gradus. Majorem enim
D E U S de homine, qui ad ipsius imaginem est creatus, qui est magnum
naturæ miraculum, qui est heros naturæ & mundi dominus, qui
est μικρός μόνος, ratione graduum formarum in ipso existentium, su-
scipit curam, quam de bobus & reliquis creaturis, quod probatur
ex instituta comparatione ipsius Christi Matth. 10. v. 31. πολλῶν σχε-
δίων διαφέρεται υμεῖς: & i. Cor. 9. v. 9. μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ
θεῷ. Quod non sic intelligendum est, ac si D E O boves non essent
curæ simpliciter, hoc enim esset falsum. Ipse enim dat escam omni car-
ni Ps. 136. ergo etiam bobus; sed comparatè, quod D E O de bobus non
talis existat cura, qualis ipsi est de hominibus, quibus filium suum de-
dit & propter quos boves creavit, unde Ambrosius dicit: Non curam
suscepit D E U S de pecoribus propter hæc ipsa, sed propter nos quo-
rum causa creavit, & ideò de nobis præcipue curat. Hinc etiam Pau-
lus Rom. 8. v. 20. Propter hominis peccatum natura vanitati est sub-
jecta. Maxima autem & peculiaris cura D E I est super credentes, i.
Tim. 4: v. 10. ἐστι σωτήρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν.

X. Circa

X.

Circa Objectum Prov. postremò & hoc erit notandum, quod cum Providentia DEI se extendat, ad ea quæ sunt, hoc est ad Entia positiva, excludenda esse ex illius circulo. omnia illa, quæ non sunt, seu quæ ab esse deficiunt, ut peccatum. Hoc enim non ponit aliquid, sed privat originalem justitiam & sanctitatem, ideoq; dicitur carentia justitiae originalis debitæ inesse. Posset quidem positivum quid dici in quantum (ut loquitur Thomas) sese habet instar morbi, qui aliquid habet de privatione, in quantum tollitur æqualitas temperamenti & sanitas, & aliquid positivum in ipsis humores inordinatè dispositos; sic etiam peccatum in quantum sublatâ harmoniâ cum voluntate divina ponit vitiositatem & est corruptus habitus; Verum hoc dicitur tantum impropiè & non sensu metaphysico, quo illud est positivum Ens, quod habet suam essentiam & bonitatem debitam, & cu[m] illa potest reciprocari. A quâ cum omne peccatum consistens in ærui & virtio destituatur, eō sensu positivum dici nequit, nec etiam ad objectum providentiae divinæ, ac si DEUS peccatum, ut fieret, curaret, est referendum. Sicuti enim DEUS à seipso & per se ipsum est ens bonum & perfectissimum, ita etiam quicquid à DEO dependet in fieri, habet suam perfectionem & bonitatem. qualis enim causa, talis est effectus, in rebus essentialiter subordinatis; quod non fieret, si DEUS causaretur peccatum, nam tunc causa perfectissimæ haberet effectum (si effectus est nominandus) deficientem, & sic in agendo desiceret, quod dixisse de DEO est ærry, & destruens DEI naturam. Interim si DEI cura sese ad peccata extendit, fit hoc non ut antea dictum est, causando, sed tantum permitendo, puniendo, interdum ad bonum finem dirigendo. Dirigat ergo DEUS, qui ut (loquitur Aug. lib. 3. Conf. cap. 11.) unumquemq; nostrum ita curat, tanquam solum, & ita universos, ut singulos curaret, & nostra dicta, facta & cogitata in nominis sui gloriam & nostrum æternum emolumentum.

Ipsi

Sit laus, honor & gratiarum actio in omnem
eternitatem!

C

Man.



Mantissa miscellaneæ.

I.

Christi descensus ad inferos non pertinet ad statum Exinanitionis, sed ad statum exaltationis, siquidem (ut loquuntur Scholastici) non ut impij, descendit ad statum succumbentiae, sed ad statum victoriae.

II.

Quærere, quid Deus ante mundi creationem ab æterno egerit, non est simpliciter impium.

III.

A verâ definitione deviant, qui Verbum Dei vel per doctrinam, vel per scripturam definiunt.

IV.

In moderamine inculpata tutela occidere hominem, non est contra naturam.

V.

In judicio divino sepè alter pro alterius delicto punitur, citra justitiam divinæ violentiam.

VI.

Copula, qua sit per Pastorem, non est accuratè loquendo de essentia conjugii, ad honestatem tamen & decentiam hodiè requiritur, ob id, qui ante copulationem alterius sponsæ pudicitiam violat, adulterij crimen incurrit.

VII. Ex-

VII.

Excellentissimos Ecclesiae Doctores, maximè
cum multos ad Christum perduxerint, & ipsi
in verâ fide hanc viam calcârint, in calosum-
mos occupaturos esse beatitatis gradus, ex scri-
pturâ colligere non est absurdum.

Provida cura Dei moderatur singula pendent
Illiis à nutu mundi systemate clausa.
Huic pia mens se se submittit, Numine ab uno
Pendula. Tu Zincki hance putas rectâ ratione;
Nec Te destituet, modò Tu, quod te decet, urge.

Johannes Quistorpius D. Th. Facult.
senior & Superintendens.

Pro Domini Curâ, Tibi cur certare lubescit,
Zincki? cui linguam sedula Musa polit.
Quam nempe in studiis ductricem expertus es ipse,
Illiis occultas vis aperire vias.
Hac te olim Martis postratum vi revocavit
Ad Musas, studiis munera serva dedit.
Dotibus ingenii hæc quas vis Te armavi ad artes,
Quas finis in factis sapè niicare tuis.
Quas præsens, quas præteriti docuere laborcs
Præstati in Sophicis Theologicisq; simul.

Per-

Pergito sic D O M I N I p r o c u r a s e d u l u s e s s e ,
Ipse T u i c u r a m f u s c i p i e t D O M I N U S .

M. Johannes Hempelius, Dno,
Respondenti.

E R g o p l a c e t , Z I N C K I , T i b i p r o v i d a c u r a J E -
H O V A E ,

Quam disceptantum sub documenta voces?
Sic patet. Et merito. Nam cui sapientia J O V A E
In studiis cunctas est moderata vias,
Puncta suo merito tulit optima, maxima laudu,
Quæ quis in humana sorte refere potest,
Hanc sub præsidio Quis torpI ponis; & acri
Mentis ad incudem dexteritate libras.
Perge: D E U S p o r r o s a c r i m o d e r a m i n e F l a t u s
P r a f i d e a t s t u d i i s p r o v i d e a t q u i t u i s !

Ita ex animo vox suo Zinckie
F R A N C I S C U S F E X E R U S ,
Jenensis.

H u i c b e n e p r o v i s u m , c u i p r o v i d e t i p s e J e h o v a ,
P r o v i d a n a m q u i D e i c u r a s a l u t u s o p u s .
H e c c e t i b i , Z i n c k i , m a t e r i a s o l a p r o b a t u r ,
Q u a m t h e s s u b s t r e s s i s e x p l i c u i s c e c u p i s .
A d s i t p o r r o t i b i s a n c t i s s i m a c u r a J e h o v a ,
M i r i s c e s a n c t o s q u a r e g i t u s q u i s u o s !

C a n d i d a e a m i c i t i a e r g o g r a t u l a b u n d u s f .
H e n . M y l i u s , R o d .

• 6 (*) 5 •




VII.

Excellentissimos Ecclesiae Doctores
cum multos ad Christum perduxerat
in verâ fide hanc viam calcârint
mos occupaturos esse beatitatis gra-
pturâ colligere non est absurdum.

P rovida cura Dei moderatur singu-
lliūs à nutu mundi systemate clau-
Huic pia mens se se submittit, Numinis
Pendula. Tu Zincki hance putas re-
Nec Te destituet, modò Tu, quod te

Johannes Quistorpius D.
Senior & Superius

Pro Domini Curâ, Tibi cur certar-
Zincki? cui linguam sedula Musa
Quam nempe in studiis ductricem experi-
Illius occultas vis aperire vias.
Hac te olim Martis postratum vi revoco
Ad Musas, studiis munera serva de-
Dotibus ingenii hæc quas vis Te armavit
Quas finis in factis sapientiæ carere tuis.
Quas præsens, quas præteriti docuere la-
Præstati in Sophicis Theologicis q. finis



the scale towards document